

emporium esse, quod uocat Nici: apud Raptum uero promontorium, fluium Raptum ac Metropolim nominis eiusdem, parum distantem a mari, quod uero a Raptis ad Prassum usque est promontorium, sinum esse maximum, non tamen profundum, circum quem Barbari habitent Antropophagi.

In Caput decimumseptimum annot.

Repetit Ptolemæus obiter in hoc capite, ea que mox precedentibus duobus capitibus tractantur. Deinde ostendit Marinum dissentire historijs & enarrationibus navigationum, quas sui temporis exploratores tradiderunt, presertim de ijs que fiunt per Indicum litus usque ad Seram metropolim Seru, & inde usque ad terram incognitam. Exploratores illi fuerunt mercatores & nautæ Arabie felicis traicientes in Indiam, & item nauigantes ab Aromatis uersus meridiem ad Prassum promontorium. Syagrus promontorium in Arabia felice est, habens gradus longit. 90. & latitud. 14. Sachalitis uero sinus habet in longitudine gradus 88. & in latitud. 18. Marcum & Simylla sunt in decima Asia tabula, primum habet in long. III. & in lat. 17. Simylla uero habet gradus 110. & 15. Chersonesus aurea est in undec. Asia tabula, subiaccens æquatori. Cattigaria meminimus supra capite 14. Sinarum regionem inuenies in undec. Asia tabula. De Sera Serum metropoli habes in octaua Asia tabula. Porro turris lapidea est in Saca regione, in septima scilicet Asia tabula. Et Palimbothra est in decima Asia tabula, sita iuxta Gangem, & habens in longitud. gradus 143. in lat. 27. Situm Aromatum ostendimus cap. 14. Et Azania regionis locum inuenies supra cap. 7. De Raptu & Prasso promontorio diximus capite 9. De Pano uico, Opone emporio & Zingina promont. scribit Ptolemæus tabula Africa 4. habentque situm in sinu Barbarico. Nec multum distat mons Phalangis, habens in long. gradus 80. & in latitud. 3. Describuntur ibidem & reliqua loca que hic commemorantur, nempe Apocota, Esina, Serapionis portus, &c.

QVAM SINT INVTILES

Marini compositiones ad designationem orbis Cap. XVIII.



Væ igitur cognitionem aliquam, ab ipsa historia consequi debeant, hucusque annotata sint. ueruntamen ne quibusdam contentione

potius quam emendationem suscepisse uideamur, singula nobis per enarrationem particularē manifesta erunt: nunc uero restat, ut ea que ad descriptionis pertinent aggressionem, consideremus. Proinde quæ duplex illius sit modus: primus qui orbis dispositionem in parte spherice superficies designat: secundus uero qui in plano: ambobus id conuenit, ut proponatur quædam operis facilitas: hoc est, ut ostendatur, quoniam modo, etiam si nullum propositum sit exemplar, ex sola ea, que per commentaria traditur doctrina descriptionem, quantum fieri potest commodissime facere possimus. Etenim traditio assidua a prioribus exemplaribus ad posteriora, propter uariationem paruam, mutationes admodum dissimiles in rem hanc egregiam inducere solet: modus uero ille, qui per commentaria traditur, si non sufficiens ad demonstrationem expositionis esse contingit, impossibile erit illis, qui exemplari carent, rite consequi propositum. Quod & nunc quamplurimis euenisse uidemus, in tabula, quam Marinus composuit. quæ enim exemplaria ultimæ eius æditionis assequi nequiuere, sed solum ex commentarijs rem ruditer & quasi per coniecturam aggressi sunt, in plurimis que confessæ sunt collectionis errauerunt, propter ineptitudinem & confusionem institutionis, quemadmodum unicuique experto considerare licet. Quum enim ad singula loca designanda necesse sit, & longitudinis, & latitudinis positionem habere, ei qui illa debito ordine collocare uelit, non tamen confestim quis eam in compositionibus inueniet, sed separatim: hic enim latitudinis tantum deprehendet, ueluti in positione parallelorum: alibi autem longitudines solum quemadmodum in meridianorum designatione. Ut plurimum tamen utraque hæc in eisdem commentarijs haud inueniet, sed in alijs quidam paralleli describuntur, in alijs uero meridiani: ita ut tales in positionibus semper alterius ope indi-

geant